

Injectio Morphini.

Rp. Morphini hydrochlorici 1,0
Aeque destillatae 25,0.

Solve. *Dosis*: 0,3—0,5—0,8. Solutio-
ones Morphini loco umbroso et non
longius hebdomade una servandae
sunt.

Eodem modo paranda est injectio

Narceini hydrochlorici.

Dos. 0,4—0,6—1,0.

Injectio Morphini hypodermica

Ph. Brit.

Rp. Morphini hydrochlorici 6,0.

Solutis in

Aeque dest. tepidae 60,0

adde

Liquoris Ammonii caust. q. s.,
ut reactio alkalina efficiatur. Praeci-
pitatum elotum misce cum

Aeque destill. 40,0,

tum admisce

Acidi acetici q. s.,

ut Morphinum solvatur et liquor sit
perfecte neutralis. Tum adde

Aeque destill. q. s.,

ut pondus liquoris 60,0 expleat. *Ph.*
Brit. Dosis: 0,06—0,12.

Injectio Nicotini (subcut.).

Rp. Nicotini 0,05

Aeque destillatae 10,0.

Misce. *Dos.* 0,15—0,25—0,3.

Injectio Secalis cornuti

(subcut.).

Rp. Extracti Secalis cornuti 2,5.

Solve in

Spiritus Vini rectif.

Glycerinae aa 7,5.

Injectio varicina.

Injectio Varietis. *Krampfaderinjection.*

Rp. Jodi 1,0

Acidi tannici 9,0

Aeque destill. 200,0.

Misce et solve. Ante injectionem
morbidus per horam dimidiam ambu-
let, ut varices intumescant, tum sub
loco, in quem injectio perficienda est,
ligamentum circumponatur. Quo facto
aliquot guttae liquoris in varicem di-
latatam ope siphonis Pravazii, cum

cannula dupla constructi, injiciantur.
Punctum cannula effectum Colloidio
jodoformiato claudendum est. Liga-
mentum non tangatur et morbidus per
hebdomades duas in lecto se continere
cogatur. Post hoc tempus varix soli-
da est, tum sensim abiit. (*Mollière*).

Injectio Veratrini (subcut.)

Rp. Veratrini 0,05

Spiritus V. rectif.

Aeque destill. aa 5,0.

Solve et misce. *Dos.* 0,25—0,4—0,6.

Jodoformium.

Carboneum jodatum. Formylum ter-
jodatum. *Formyltrijodid.*

CHJ₃—C²HJ₃—394.

Rp. Natri carbonici cryst. P. 5

[1] Jodi P. 2

Spiritus V. rectifss. P. 5

Aeque destill. P. 20.

Natro carbonico aqua soluto adde
Spiritus Vini, tum liquori ad 60 vel
80° C. calefacto paulatim injice Jodum
et sepone ad refrigerationem. Sedi-
mento jodoformioso inde exorto sepa-
rato, liquori decanthato vel filtrato
eadem quantitates Natri carbonici et
Spiritus Vini admisce, tum per liquo-
rem denuo ad 60 vel 80° C. calefactum

Chlorum gasiforme

mitte, donec Chlorum paulum abundet,
et sepone, ut liquor refrigeret. Sedi-
mentum colligatur et cum illo antea
collecto aqua frigida abluatur, tum
chartae bibulae impositum, calorem
evitando, siccetur. Sit pulvis cry-
stallinus citrinus, odoris crocei, saporis
dulciusculi, in aqua fere insolubilis,
in Spiritus p. 50 et in Aetheris p. 5,2
solubilis, calore 120° liquescens. Effi-
citur fere P. 1. Servetur in vase vitreo
bene clauso et a luce remoto.

Rp. Kali carbonici puri,

[2] Jodi aa P. 2

Spiritus V. rectifss. P. 1

Aeque destill. P. 5.

Retortae, excipulo munitae, ingestae
leni calore balnei vaporis calefiant,
donec decoloratae appareant. Residu-
um refrigeratum cum liquore destil-
lato, in excipulo collecto, commisce et
per aliquot horas sepone. Sedimentum
inde ortum filtro immisum aqua ab-

lue et inter chartae bibulae strages, calorem evitando, sicca. Serva in lagenulis vitreis, bene obturatis. Effic. circiter $P. \frac{1}{2}$. Sit pulvis crystallinus citrinus.

Nota. Liquor de sedimento defusus continet Kalium jodicum.

Jodoformii vis eidem Kalii jodati fere similis est. Antisepticum forte. *Dosis:* 0,02—0,05—0,1. *Dos. max.:* 0,21, pro die 1,0!! Ad usum inspers. 1,0:10,0. Sacchari, Lycopodii. In unguine 1,0:5,0—10,0—20,0 adip. In suppositoriis 0,5—1,0.

Odorem jodoformicum attenuatur oleo Menthae piperitae, oleo Sassafras, balsamo Peruviano, acido tannico. \

Jodoformium desodoratum

s. aromatisatum.

Deodorized Jodoform. Geruchloses Jodoform.

Rp. Jodoformii 100,0

[¹] Cumarinae 5,0.

Conterendo in pulverem subtilem redacta serva in vitris obturatis, a luce remotis.

Rp. Jodoformii 100,0

[²] Acidi carbolicum puri 5,0

Olei Menthae piperit.

Olei Sassafras ana 1,0.

Misce conterendo. (Praeceptum Americanum).

Jodolum.

Pyrrolum tetrajodatum.

$C_4J_4NH-NH, C^8J^4=571.$

Rp. Pyrroli 3,0.

Solve in liquore calido, parato e

Kalii caustici 10,0 et

Aquae destill. 200,0

commixtis cum

Jodi 45,0

Kalii jodati 60,0

antea contritis. Liquorem agitatum sepone per diem unum. Praecipitatum ortum in filtro collectum et aqua elutum, tum moderate expressum solve in Spiritu absoluto

quantitate tripla calore modico (50° C.), tum adde

Carbonis animalis depurati

q. s.

et digere, donec liquor decoloratus appareat. Deinde liquor filtratus cum aquae quantitate sufficiente misceatur, ut jodolum plane praecipitetur, et praecipitatum collectum leni calore siccet. Sit pulvis subflavescentis, inodorus insipidusque, in aqua fere insolubilis, solubilis in Spiritu p. tribus, in Aetheris parte una. In spiritu solutus aqua addita, neque Glycerina praecipitatur. *Dosis:* 0,2—0,3—0,5 pro die. Ad inspirationem in laringem ulcere tuberculoso oneratum, in aurem 1,0—2,0:8,0 pulveris invalidi. In unguine 5,0—10,0:100,0 adip.

Jodolum solutum.

Liquor Jodoli.

Rp. Jodoli 1,0

Spiritus Vini 15,0

Glycerinae 35,0.

Misce. Ad tegumenta, cataplasmata vulnerum irriganda.

Jodolum solutum impraegnatorium.

Jodollösung für Verbandstoffe.

Rp. Jodoli

Colophonii pulv.

Glycerinae \overline{aa} 10,0

Spiritus Vini absoluti 100,0.

D. S. Ad impraegnationem textilium variorum, uti ad parandum:

Carbasum jodolatum s.

Gazam jodolisatam. Pag. 123.

Jodothymolum.

Aristoleum. Aristolum (praestans).

Aristol-Ersatz.

Rp. Thymoli crystall.

Natrii caustici \overline{aa} 10,0

Kalii jodati 30,0

Aquae destill. 100,0.

Misce et solve. Liquori inter agitationem instilla

Liquoris Natri hypochlorosi

concentrati 500,0 vel q. s.,

ut praecipitatio perfecta sit. Tum forte conquassa. Sepone per horas duas, dein praecipitatum in colatorio limbo collige, aqua destillata elue et calore 30° C. non superante loco luci solis subducto sicca. Serva in vitris clausis, a luce remotis. Prae-

ceptum hoc a *Boulé* notatum. *Usus:*
In Jodothymolo vires Kalii jodati et
Jodoformii combinatae sunt.

Jodo-Conchininum sulfuricum.

Sulfas Conchinini joduratus.
Conchininjodosulfat.

Rp. Conchinini sulfurici (subsul-
furici) 25,0.

Conterendo misce cum

Aquae destill. 2000,0.

Tum admisce inter agitationem li-
quorem solvendo paratum ex

Jodi puri 12,0

Kalii jodati 20,0

Aquae destill. 1000,0.

Tum sepone. Post horas tres liquo-
rem limpidum decantha et aquam af-
fundendo, sedimentando, decanthando
praecipitatum elue, quod in colatorio
lintheo humectato collectum et paulo
aquae ablutum leniter exprime et loco
tepedo, calore 30° C. non superante,
sicca. Sit pulvis e kermesino fuscus,
inodorus, in aqua non solubilis, in
spiritu et Chloroformio solubilis. Ser-
va is lagenis obturatis, a luce remotis.

Praecipitatione peracta, liquor de-
canthatus addendo solutionem Jodi ad-
huc praecipitati parvam copiam prae-
bet.

Hoc sal est Herapathitae paulum
simile et loco Jodoformii adhibetur.

Eodem modo paratur:

**Jodo-Cinchoninum sulfu-
ricum,** Sulfas Cinchonini jodura-
tus, *Cinchoninjodosulfat*, quod etiam
loco Jodoformii adhibetur.

Jodum chloratum.

JCl. Chlorum jodatium.

Rp. Jodi contriti P. 10

Kali chlorici contriti P. 40.

In retortam ingestae et tantummodo
conquassando mixtae in balneo arenae
collocentur. Tum fac, ut leniter in-
calescant, quo in excipulum refrigera-
tum et sine luto affixum Jodum chlo-
ratum transeat et donec massa in re-
torta residens (e Kali, Acido jodico et
chlorico constans) fere decolor appare-
at. Fluidum destillatum e flavo rub-
rum in vitris minoribus et embolis
vitreis optime clausis asservetur.

Jodum terbromatum.

Jodum bromatum.

Rp. Jodi contriti P. 10

Aquae destill. P. 40.

Mixtis et in cucurbitam vitream in-
gestis affunde

Bromi P. 20

et agita, donec Jodum solutum sit.
Tum adde

Aquae destill. P. 530.

Si opus est, filtra. Liquorem in la-
genis embolis vitreis munitis, repletis
loco frigido asserves.

Nota. Partes 20 continent Partem
1 Jodi tribromati. Liquor non dilu-
tus continet in Partibus 7 Partes 3
Jodi tribromati.

Jodum terchloratum

liquidum.

Chlorojodum.

Rp. Jodi contriti P. 2

Aquae destill. P. 11.

In hanc miscelam lagenae vitreae
ingestam conducatur

Gas Chlori

evolutum e

Magani hyperoxydati

Natrii chlorati aa P. 3

Acidi sulfurici conc.

Aquae destill. aa P. 8.

Liquori saturate badio obtento adde

Aquae destill. eam quanti-
tatem,

ut pondus mixturae exaequet

Partes 74.

Nota. Partes 20 continent Partem
1 Jodi trichlorati.

Liquor non dilutus respondet formu-
lae: JCl+77,8 Aq. et continet in 4
Partibus Partem 1 Jodi terchlorati.
Hunc signes:

Jodum terchloratum
hydratum.

Julapium moschatum.

Mixtura Moschi.

Rp. Moschi 0,15

Gummi Arabici 0,5

Sacchari albi 1,0.

Conterendo misce cum

Aquae Rosae 30,0.

Julapium salinum.

Rp. Saturationis Kali carbonici cum Succo Citri recens paratae,
Aquae destill. \widehat{aa} 50,0
Syrupi Sacchari 25,0.

Jusculum e carne
methodo Liebigiana paratum.
Liebig's Fleischbrühe.

Rp. Carnis muscularis rec. taurinae vel gallinae, a pinguedine liberatae P. 1000.

In frustula minima incidendo redactas superinfunde

Aquae frigidae P. 1000

antea commixtis

Acidi hydrochlorici P. 1

et Salis culinaris P. 5 ad 6.

Macera per horam unam loco frigidiore, dein cola per cribrum setaceum. Quo facto denuo carni affunde

Aquae frigidae P. 1000

et per horam unam macera.

Colaturae commixtae ad usum aegrotis dentur.

Kaiffa.

Faecula orientalis.

Rp. Seminis Orizae P. 20,

Sago P. 15,

Tuberum Salep P. 10,

Seminis Cacao tost. P. 15,

Amyli tuberculum Solani tuberosi P. 25,

Gelatinae exsiccatae P. 5,

Sacchari albi P. 70,

Elaeosacchari Vanillae P. $\frac{1}{3}$.

M. Fiat pulvis tenerrimus.

Kaïrinum.

Oxychinolino-Aethyle hydrochlorica.

$C_9H_{10}(C_2H_5)NO \cdot HCl$.

Paratur e Chinolino modo vario. Kaïrinum medicamen antipyreticum est, quod Conchinino vel Chinino hydrochlorico perfecte compensatur, uti experientia docet. Vis alcaloidium chinae praeferenda est. In mercatu species duae discernuntur: Kaïrin. A. et Kaïrin. M. Species M etiam Kaïrolinum nominatur.

Si medicus „Kaïrinum“ praecipit, semper species A dispensetur. Formula speciei M est: $C_9H_{10}(CH_3)NO \cdot HCl$.

Kali aceticum.

Terra foliata Tartari. Acetas Potassii.
 $KC_2H_3O_2 - KO, C^4H^3O^3 = 98$.

Rp. Kali bicarbonici P. 1 vel q. s.
Sensim immitte in

Aceti concentrati P. 2,

donec inter calefaciendum liquor neuter evaserit. Liquor, minore quantitate addita Aceti concentrati acidule factus, filtretur et calore balnei vaporis inter agitationem ad siccum usque evaporetur. Massa salina adhuc calida in vas vitreum bene obturandum statim ingeratur. Sit pulvis crystallinus, albus, neuter, humorem aëris facile recipiens.

Kali aceticum solutum.

Liquor Kalii acetici. Solutio Acetatis kalici.

Rp. Kali bicarbonici P. 50.

In cucurbitam amplam immissis sensim affunde inter agitationem

Acidi acetici diluti (pond. spec. 1,041) P. 100.

(vel Acidi pond. spec. 1,029, P. 142.)

Effervescencia peracta liquorem calore balnei aquae calefac, ut Acidum carbonicum liberum adhaerens expellatur. Quo facto liquori, si adhuc alkalinum invenis, instilla inter agitationem

Acidi acet. diluti q. s.

(P. circiter $\frac{1}{3}$), donec perfecte neuter factus sit. Postremo adde

Aquae destillatae q. s.,

ut pondus liquoris totius filtrati exaequet

Partes 145 ad 147

vel donec pondus specifienn = 1,176 ad 1,180 effectum fuerit. Continet 33,33 partes Kalii acetici siccii in centenis partibus. (Ph. Germ.)

Ph. Austr. Liquor evaporetur ad partes 126—128 vel donec pd. sp. 1,200 (37,5—38%) effectum fuerit.

Kali arsenicum.

Arsenias potassicus. Sal arsenicale Macqueri.

Rp. Arsenici albi,

Kali nitrici \widehat{aa} P. 10.